

πg
305



FA 132
91

II g
305

ORATIO,
qvā
DE
IMPEDIMENTIS INFORMA-
TIONIS SCHOLASTICÆ,

sub auspicio Lectionum,

&

Curæ Scholæ Gardelegiensis

solenni ritu

die XXIV. Sept. Anno MD CC XV.

sibi demandatæ

differit

Rector

Joh. Rud. Noltenius.



STENDALIÆ,
Typis Johannis am Ende.

Viris

Summe Reverendo, Nobilissimis, Amplissimis,
Consultissimis, nec non Doctissimis

Dn. Dn.

SUPERINTENDENTI,

CONSULIBUS

&

SENATORIBUS

Civitatis Gardelegiensis,

Scholæ

PATRONIS ac PROVISORIBUS

hanc oratiunculam

grati animi tesseram

d. d. d.

Autor.



Væ ab eruditis in utramvis partem de barbarie jam irruente sunt
disputata, nonnullis ejus tenebras jam oboriri affirmantibus, qui
busdam vero de ea nihil mali meruentibus, mihi nec decidenda su-
mo, nec sub initium meæ orationis inqvirenda esse mearum fore
partium sum arbitratus. Qvicquid erit, in scholis qvarerendas opinionis
fons & ortus, qvæ barbarie irruituræ specie sua, qvam hodiernis tem-
poribus præ se ferunt, incutunt metum. In collapsam illarum salutem
si paulo uberioris inquirere licebit, in informationem omnia redundare
deprehendam. Qvamobrem haud ab re me facturum esse duxi, si de
informationis scholasticae impedimentis sub auspiciis spartæ mihi de-
mandata breviter differuerim, non, qvod Vobis, P. C. institutionis a
me suscipienda subsecutura ostendam impedimenta, sed qvod nautas
imitandos censem, qui multo studio syrræ ac charybdes cognoscere la-
borant, ut eo melius possint evitari. Unde etiam eo minus dubito, qvin
mihi de Informationis Scholasticae Impedimentis dicenti benignas aures
fitis adhibituri.

Anteqvam vero ipsas Scholas ingredimur, qvædam extra eas se no-
bis objiciunt consideranda. Principes & Magistratus omnium primo
oculos incurvant, apud quos (abfit, ut omnes eodem modulo metiar:)
duchim deserbut antiquus ille in literarum ludos amor. Sic legimus
(a.) Constatinum Chlorum Eumenii, memoræ, (ut loqui amavit,) Ma-
gistrorum proposito ro. talentorum stipendio annuo operam ad docendam
juventutem conduxit. Ita & Carolum IV. accepimus saepius Athe-
næum Philosophicum Pragæ intrasse, & disputantium Studiosorum con-
tentiones avide imbibisse. Parimodo & Carolum M. Parisiensem Lu-
cetum visitasse, alumnisque studiorum præmia proposuisse traduat Hi-
storiæ. Non requiro hic Augusti magnificentiam, qui servos, fundos &
toram supellecitem dedit Horatio: Non postulo Ludovici, Galliarum Re-
gis liberalitatem, qui pro uno versu arcu sue inscripto decem minarum
millia persolvit. Non posco Venetianus Magistratus Samnazarii versus
tam profuse remunerantis sumitus: Sed hoc falem, Magistratum qui
gerant, decere puto, ut curam habeant, qvomodo juventus & Scho-
las

A 2

(a.) Lichm. Chrou. Spir. L. I. c. 25.

las exstruendo, bonos Præceptores constituendo, poenas torpentibus & præmia soleribus proponendo, ad studiorum amorem possit suscitari. Videas autem multos aut plane ut a studiis, ita & a Scholis abhorre: multos præpostero judicio scholas hæresium & turbarum seminaria habere: Multos etiam scholarum cœniores & visitatores imprudentes admodum & iniqves constitui. Quid inde, quæsio, aliud, quam pestilens informationis scholasticæ detrimentum potest oriiri? Qvicquid laborant Præceptores, cadit incassum, si Principum ac Magistratus ope atque auxilio se destitutos esse vident, ut plantas raro virescentes deprehendimus, si solis radiis opera piantantis non fuit subleyata.

Ad cives & subjectos me converto, qvos pari ratione multa informationi afferre impedimenta negare non possumus. Præcipuo loco hic compellandus ingratus eorum animus, qui tantus, quantum nunquam fatis potest incutari. Non fatis recte agnoscunt præclaram eam fortē, qua per DEi providentiam nobis redditum est lumen eruditionis Cimieris antea tenebris obductum. Hinc non potest, quin orientur Scholarum, contemnus, odia in sectatores Musarum, suppressio illis congefforum privilegiorum, famæ illorum obrectatio virulenta, & alia id genus incommoda. Quid enim hodierno tempore magis solenne, quam Scholarum cum ergastulis & pistrinis contendere, parique honore dignas habere? Quid magis tritum, quam vulpecularum nomine afficere Scholaras majori honore ab ipso Apolline dignos reparatos? Quid usitatus, quam nominibus variis turpiter ac nefande Præceptoribus impositis juvenibus omnem informationem reddere exofam.

Imo, qvod præcipuum, nullus a parentibus ingeniorum delectus habetur, sed, quasi per fortē acciderit, hunc in Scholaris detrudat asinum ad lyram, illum vero, cui saepe ex meliore luto Tiran fixxit præcordia, opificio cuidam, vel mercaturæ dicare solent. *Ut auctor, qui spinas habet in pedibus; ubique spinas calcat, ita sterili ingenio ostenta materia est sterilia.* (b.) Qvod apud Indos, Cathæos & Brachmanes in usu fuisse relatum legimus, qui infantem editum post duos menses in publico spectandum exhibuerunt, ut de ejus indole varia exciperent judicia, qvodammodo imitandum esse videtur, ne adeo invita Minerva multi Muias leqvi cogantur. (c)

Spectant ad hanc classem blandæ nimium parentum educationes, quibus omnem quasi convellunt ac destruant informatoris industriam similes medicis, qui membra interno calore inflammata ferro non recidentes mortem potius accelerare, quam vitam decumbentis solent conservare. Hinc pueruli, si forte a Præceptore ob nequitiam præmium tulerunt, mirum quanto solatio afficiantur: Imo pene deplorantur omnibusque diris devovetus, qui nullo in filiolum amoris affectu tantus eum tam crudeliter excipere potuerit. Et si quid forsitan in styli Exercitio vitium a Præceptore non fuit notatum, quum innumerabilis eorum multitudo ac varietas oculorum pene lumini offecerit;

heus,

(b.) Seneca.

(c.) Sabellicus L. g. Ennead. 4. V. pl. in Morboſis Col. L. 2. c. 8.

heus, inquit, fili, multa labitur tuus senex! viden, quid neglexerit corrigendum? tantumne committere flagitium Praeceptorem? qum tamen nemo meo quidem judicio Herculi vitio duxerit, si quem forte in purgando Augia stabulo calamum aut pulverem neglexerit, qviam & Argi oculi non sufficiunt et semper perspicendi bonae latinitatis offendiculis. Quid inde aliud, quam ingens informationis impedimentum existat oportet?

At vero Scholas ipsas ingressis uberrimus etiam vitiorum campus se nobis offert, qvibus bona institutio convelli ac confundi videtur. Ne vero velim putetis, Auditores, omnem culpam in discipulos esse transferendam, sed & Praeceptorum mores sunt investigandi, qvostantum abest, ut omni culpa liberandas censeam, ut potius omnem malorum lernam in illis querere non erubescam. Non loquor de illis, qui per paucos saltus annos huic institutioni vacarunt; illi enim nihil egisse videntur, & sacris literis frequens magisterium improbabibus (d), sed illos incusando censeo, qui, qum unice se in juventutis commoda consecrarint, ad nullam rem minus, quam ad illius fructum respicerent.

Utramvis autem hic facit paginam in informatione turbanda impietas Praeceptorum, qva, summi Numinis gratia destituti labores suscipiunt, non secus ac infans ingentem trahent viribus longe imparibus sublaturus. Ipsi oneri succumbunt, & manibus scelere maculatis omnia contrectant negotia. Qui inde alii fructus possunt provenire, qvam haereses, atheismus, rerum publicarum eversiones, & si quid praeterea mali potest excogitari. Hinc illæ brutorum, non hominum voces: legendo Biblia stylus elegantior depravatur: sermones in Ecclesia sacros audiendo tempus, qvod literis impendendum, absunt: hinc vanus ac pestilens artium, qvas gentes excoluerunt, amor, veræque sapientia contemtus: hinc antiquitatum Græcarum ac Romanarum tantum æstimium, antiquitatum Ecclesiasticarum negligebus. (e.) Infelici vero fidere suscipit hocce navigium, qui non pietate utitur Automedote. Male certe consulunt literarum & sapientiae Studiosis, qui eos non ad coelestis Sophie ducunt penetralia, sed vagis honorum & ambitionis deliciis detinent Praeceptores. Huc accedit, qvod perqvam pauci sub necessitate salutis se Praeceptoris munus obire sibi perfaudeant, qvum tamen illud sit omnium maxime arduum. Non minus est negligere scholarum, qvam corrumpere virginem, dicere fuit solitus B. Lutherus. Etenim si quid in illis recte imbuendis negligitur, omnis vita salus, qvæ pender ab institutione, simul collabitur. Literæ enim huic tabule rafæ inscriptæ raro extingvuntur; stolones tum temporis non amputati in ramos longe patentes excrescunt: lolium ea ætate non suppressum segetem postea solet suffocare. Agite ergo, o Praeceptores, Vestra hic res agitur, plus in Vos da-

B

mni,

(d.) Jac. III. 1.

(e.) Vid. de hac materia Vocker. Comm. de Ernd. t. 2.



nni, qvam in illos, qvos negligitis animos teneros, redundat. Cura discipulorum vobis concredita a vobis exigetur! salutis juvenum vestrae fidei commissae Vobis danda ratio! Animi illorum si non bene culti, omne in vestram negligentiam redundabit malum. Non in parentes solum genuina filiorum institutio transferenda, sed vos, vos, inquam, Præceptores, estis præcipui, qvibus hoc incumbit. Majorem enim pueri dies partem Præceptoribus herent a latere, afferentes familiarium, pendent ex ore, respi- ciant natus, probari se volunt per id, quod Præceptorem serio velle intelligent. Hanc operam a Christianis ludimur, & pacisci videtur res publica, qvoties eos in scholas introducet. Et futurum populum pueros & adolescentes illius tradit erudiendos: exigit Ecclesia: requiri posse posteritas, posse in futura majorum: efflagit at tenera etatis periculum: fraudes oportunitas & accommodata & sanctiori discipline docendae in scholis ratio, nec finis ea pretium summa retinere posse videntur literarum studia (f.). Hujus laboris qui non sataget, nihil aget, & simul omnem bonorum ac fidelium Præceptorum operam pessundabit ac infringet.

Neque vero sufficiet peccatorum caput saltum indicasse, sed hæc du- mera paulo curatius erunt excutienda, & summa vitorum, qvæ a parte docentium informationi officiunt, fastigia sunt attingenda. Nolite putare, Auditores, me inepti oratoris subire speciem, qui Præceptorum virtus rimarum plenus supprimere nequeam, & publice effutre non dubitem. Non adeo mei amore sum occoecatus, ut & mea non agnoscam virtus, qui & a me humani nihil alienum puto. At nullius nostrum hic haberet ratio, qvibus hæc omnia eo majori sunt laudi, quo pejori iugavimus sunt dedecori. Nos enim univera deprendicabat civitas, si ex aliorum virtutis nostras (quod præficiui dixerim) virtutes cognosceret.

Impedimentum autem objicitur informationi & vitæ exemplis, & ipsa instituendi ratione. Ad exempla Præceptorum, qvibus juvenum animi corrumperuntur, quod spekat, præcipuum erit, quod Præceptores unius eidemque labori vacantes non semper vitam agant amicam, & harmonia vera animos suos constringi current (g.) Nam discordia scholarum pestis, informationis venenum, bona educationis repagulum, discordia illas malorum. Hinc orientur scelte & contentiones inter Theologos, Medicos, Philosphos; religionis negotium tractatur animis exulceratis. Diversæ sententiae diversos vel potius adversos parvunt animos. --- Idem ranc accidit, quod Academia Attica, quam Plato princeps ille ingenit plantavit, accidisse histiorie produnt. Illa enim ipso etiamnum vivente & vidente magistro a discipulis vexata, & discipulis misere exagitata, a discipulis deserta & dissipata fuit. Et hic contentianis & emulacionis uterus peperit academiam novam, peperit medianam, peperit Peripatetum, peperit qvam plurimas filios spurias, qd, ut fieri solet, matris senectuti insultabant. Inde perpetue altercantum rixæ, iurgia, odia, inde plurimarum absurdarum opinionum nubes, inde verborum inanitas, & frivola de rebus omnibus contentiose disputandi vanitas (h.) Vere Scipio Numantia everfa qværens ex Tyrefo Celticō Principe, qva

de

(f.) Vocker. Conf. de conjung. doct. & mor. cult. p. 114.

(g.) V. Treueri Op. de Harm. fundam. fel. Academ.

(h.) Alsted. Ench. L. 19. p. 2784.

dē causa Numantia prius invicta deleta esset? hoc respōsum tulit: *Concordia victoriam, discordia exitium afferit* (i.). *Concordia enim parve res cre-
scunt, discordia maxima dilabuntur.* Singula hastilia facile franguntur,
in fasciculum collecta ne incurvantur qvidem: & animi Præceptorum
conjunctis viribus in laborem incumbentes omnibus Satanæ arribus
& technis non dissipantur, sed opus Domini sedulo & cum fructu ur-
gere poterunt.

Qvod si vero in primam hujus discordiae causam inquirere licebit paulo
curiosus, avaritiam (pudet dixisse) ut plurimum rixarum ac conten-
tionum fontem esse patescet, quæ invidiae stimulis agitata animis homi-
num ita , an dicam, extollat, an deprimat, ignoro, ut doleant, si quid al-
terum vident majoris haberi vel magis amari. Qvi sit, ut pretium
pueris, qvod persolvant, imponant, illos, qui dona interdum a ma-
tribus emendicata afferunt, cæteris praferant: divitum filios ma-
jori studio ac cura instituant, illisque plus libertatis relinqvant, atque
adeo scholasticam disciplinam magis dissolvant, quam contineant at-
que exerceant. *Avarus enim antequam lucretur, se ipsum perdis,* & ante-
quam aliquid capiet, capieatur (k.). Qvæ dum animadvertunt juvenes,
qvid inde, queso, aliud, quam despectus Præceptorum proveniat o-
portet. Divites aut bene in literis proficiunt, quum plurimum tem-
poris illorum informationi impendatur, aut in omni malitiarum coe-
no pervolutantur, qvum, qvicqvid liber, licet virute numinis post-
posita. Qvi non habent, qvod dent, flaccient ac frigent, cura illorum
parva aut plane nulla habetur, aut, si quid forte delinquent, justo plus
in illos animadveritur, non qvod neqvitia, sed qvod rara donorum obla-
tione peccent. Non possum, Auditores, qvin pace vestra hic in memori-
am mihi revocem lepidam admodum ac facetam historiolam, quam haud
multis retro annis accidisse fama fert. Discipulus qvidam peregre
profectorus veniam exportit Præceptoris, data fide, se statim tempore
reveretur. Detenus vero filius a patre, quem villicum fuisse per-
hibent, ultra spatium a Præceptore indultum rogat matrem, ut an-
serem donet, quem Præceptoru suo ad rem paulo avidiori, & itine-
ris moram ægre laturo afficeret. Annuit mater filio petitis, eum
que ansere donatum ad Præceptorem rursus alegat, qui conspectum
juvenem acris increpans de redditus procrastinatione quam acerrime
objurgabat. Interea ille lacerto sinistro ansere sub pallio occultum
paulum comprimens, eum fecit clamitare. Tum Præceptor, habes,
inquit, ansere & taces! quasi nullis indigeret convitis, qui pecca-
ta donis refarcire studeret! Perpendite, quæso, o Boni, quantum hoc
apud Auditores offendiculum? quantum hacavaritia pariat contem-
ptum? quantum autoritati vestrae, sine qua tamen omnis informatio
in nugas convertitur, & vos seurrarum potius, quam Præceptorum
speciem præ vobis fertis, illa afferat derrimendum!

B 2

In-

(i.) Pet. Diaet. Hist. 4.

(k.) Augustin.



Ingens, ut luce meridiana clarus patet, inde in scholas manat 'corruptela, ac in informationem impedimentum: videlicet nimia indulgentia, qua frenum laxatur juventuti ferocienti, adeo quidem, ut licentissima sit vita discipulorum in omnibus scholis, si modo via duci posset, que viam expeditissimam sternit ad mortem (l.). Hinc luxus, comportationes, desidia, nuge, & qvicquid est vitiorum in juvenibus: imo, ut majus dicam, Veitra, Præceptores, Autoritas, qua firmatos esse oportuit, labasit, corruit, & ne tantillæ adhortationes vestrae habentur. Intueamini vero aurigam, qui equis ferocibus frenis ac capitis laxatis rapitur: num vos illius curæ vestrum committetis corpus ejusque quadrigas ascendetis? & quis pari modo vestrae fidei concrederet suos liberos, si omnia in pejus ruere, & omnibus flagitiis fenestram a vobis aperiri sentier. Surdas pulsant aures, qui non dicunt audientibus dictis, & omni adhibita in informando diligentia æthiopem lavasse videntur.

Qvæ dum loquor, spretæque autoritatis perniciem perqviro, nullo modo defendam illam, quam nonnulli inani plane studio affectant, fastu an stoliditate potius dicam, nescio, majestatem, qua dictatoria quasi porestare sibi vindicata minus liberaliter ingenuos tractant, liberalium artium studiosos juvenes. Omnem enim gravitatem in inani vultus ad ordinem semper compositi severitate confistere sibi persuadent. Qyo certe nihil aliud agunt, quam qvod discipulorum animos magis terreat, quam ad timorem amore suffultum concinent. Mormolygmatum ac larvarum præ se speciem ferre videntur, qvibus perterrefacti infantes a malitia metu, non vitutis amore librali detinentur. Ritus omnium incurront, suæque institutioni tam vana autoritate nitenti majus afferunt impedimentum, quam fructum.

Neque vero solum vita exemplis, sed & ipsa instituendi ratione multi suæ informationi haud exiguum objiciunt remoram. Primo loco taxandus mos illorum, qui gentes scriptores sacris Christianorum libris ipsiusque Biblii longe præponunt, quum tamen illi putidissimæ scateant fabulis, hi viam salutis veræque Sophiæ ostendant. Nolite putare, Auditores, qvod in opinionem illorum velim delabi, qui omnes e scholis proscribunt ac detestantur Græci Latinique styli autores paganos: tantum enim abest, ut illis carere queamus, ut sine eorum lectione ad pristinum styli nitorem nemo pervenire posse videatur. Imbellis enim, infans, ac elumbis est illa, quam ex aliis, quam aurei argenteique seculi scriptoribus sibi quis comparare laborat eloquentia. Imo quantum imago pieta a re, quam præsentat, differt, tantum calamistratum verborum ac dictionis acupitum distat a pristino styli tenore ac lenocinio. Hoc autem solum doleo, qvod major his scriptoribus, quam ipsis Prophetis ac Apostolis honor habeatur, multisqve parafangis illis postponantur. Non est, qvod huc fuso pravum, quo laborant Præceptores, vitium obducere, atqve externa pietatis specie incrustare operam dem; omnes, qvotqvt sunt, se ab hac

(l.) Alsted. l. c. p. 2774.

hac labo non immunes esse negare non poterunt. Vera, sedula, curata scripturæ lectio non tantum habetur, quanti merito facienda, quum tamen illam postponentes ipsa informationis fundamenta negligamus.

Prorumpit inde libertas e scholis Liciiniana, qvæ dein nequaquam potest coerceri, sed fustius & flagellis est domanda, qvod tamen longe infra hominis verbo DEiformari soliti naturam possumus esset. Hinc Orbiliorum plagiolorum origo, qvi, qvæ verbis fuerant componenda, verberibus coercere conservaverunt. Antiquitas expers divini luminis, ut & Christiana juris prudentia hanc sane maxime damnavit scytiem, qvum Cicero in objurgationibus necessariis ad agendum præcipiat, n̄t ne quid facere videamus irati; sed ut ad urendum & secundum, sic ad hoc genus castigandi raro & invitos nos venire debere (m): nec unquam, nisi necessario, si nulla alia reperiatur medicina. Sit animadversio non acerba & arrox, sed qualis esse solet pars in liberis, non ad vindictam, sed ad emendationem pietatis lenitatem conditam: sicuti ab Hadriano bene dictum est, patriam postlatam in pietate debet non in atrocitate consistere. --- Ne palam & publice fiat castigationis, ac velut ad exemplum in delinqüentem edatur, ut hoc modo videtur non tam ad emendationem, quam ad ignominiam comparata (n). Qvæ si securi sunt, e schola sit pilstrinum, ex ludo carnificina, ex præceptoribus tortores. Non didicerunt plagioli isti Orbili illud: Non habebis præceptorem, nisi eundem & amicum. Duo sunt, qvibus discendi cupiditas inflammatur; Amor & Admiratio. Haec est filia ignorantiae, illa mater Philosophie. Neuter vero horum effectuum ibi habet locum, ubi regnat metus servilis. Hoc quidem tandem impetratur, ut discipuli in facie præceptoris versantes aliquam pietatis præse ferant speciem; sed postea in deterria scelera prorumpunt. Atque eo modo hypocriteos, qvæ hoc metu inducitur, non verae pietatis ejusmodi præceptores sunt autores.

Qvod vero superest impedimentorum, ne benevolentia Vesta, Auditores, abuti videar, qvam brevissimum fieri poterit, complectar. Utramque hic facit paginam ordo docendi confusus, quem ex parte facit invidia, qva ductus Præceptor sanctiores disciplinas non tam temere effutandas putat discipulis, qvafsi pristinam arcani disciplinam eister restauraturus; ex parte etiam ambages & tricæ inutiles, qvibus discursus dozentis solet undeviaque abundare. Allotria tractantes scopi, quem sibi præfixerunt, obliscentur, & Aristomachum Solensem imitari mihividentur, qvi in muscarum natura indaganda, puliciumque saltibus dimetiendis sexaginta annos consumisse fertur. Qvo nomine & male audit Haselbachius quidam natione Svevus, qui in Academia Vienensis Theologiam prælegens duos & viginti annos in primo Elaice capite interpretando confecit. Affinis huic errori ille, qvo discipuli aut totos pene libros a capite ad calcem memorie imprime re coguntur, aut omnia doctoris effata, qvafsi ex tripode dicta ca-

C

la-

(m.) L. I. de offic.

(n.) Donellius L. 3. c. 24. p. 221. cit. Vocker. Conf. 20. p. 394.



Iamis excipere jubentur. Hinc clamor ille in scholis per vulgatus: Notate, notate vobis hanc Phralin, egregia est, non semper occurrit! O bone DEus! quia si vero res non quarer aut quinque dici possit, dum inani admodum ac sterili omnia conscribendi labore juvenes detinentur. Cui bono creditis, o Praeceptores, haec Vestra dictata postea affervari? non, ut posterum antiquitas in his Manuscriptis vestra mireatur ac stupescat eruditio, sed ut vestras inepias albis dentibus irrideat, si forte incidit in illos, e quibus egregium hunc comparatis vobis theiaurum, scriptores. Tempori, tempori, cuius jaatura maxima, parcendum, illi interviendum. Defraudat juventutem, qui illam temporis privat recto dispendio, maximumque suis rebus eo modo injicit obstaculum.

Nec vero sufficiat, ea solum enumerasse, quibus praecceptores suæ informationi sunt impedimento, sed & ad auditorès pergeendum, & quantum a discipulorum partibus mali sit notandum, probe perlustrandum. Nullius autem tantum est flumen ingenii, nulla tantadicendi vis tantaque copia, qui, non dicam exornare, sed enarrare saltē possit illas ambages & anfractus, quibus se ipsos discipuli detinent. Principem inter impedimenta obtinet locum impietas in docente jam notata, quacum odium erga studia & desidia solent conjungi. Odium in studia tantum est apud plurimos, ut, quamvis ingenio polleant, illa tamen cane pejus & angue fugiant. Ignorare mihi videntur, quantis voluntatibus literarum studia sint referta, quibus illorum amantes nunquam possunt exsatiari, quum quarumcunque aliarum rerum illos capere possit fastidium. Quid, si cui force dubium est, prodeat in medium Chrysippus, qui sepe studio intentus tanta voluptate perfruatur, ut cum tangat extra se possum cibi positionisque capere obliuio. Prodeat solerissimus ille coelestium orbium non perscrutator tantum, sed & imitator Syracusanus Archimedes, qui non modo earum rerum, quas natura fert, prae ea, quam e studiis capiebat oblectatione memor non erat; sed in illa ipsa Syracusanae urbis aereptione ita defixus erat in studio, ut prius hostilis gladii iuspidem corpore exceptis, quam urbem in hostium potestatem denisse sentiret (o.). Euclides de nocte Socratem audiebat, quamvis iter per quinque leucas Megaris Athenas ipsi vesperi confiendum & mane resumendum esset (p.). Alphonfus Rex sola letione recreatus convulxit (q.). Cleanthes noctu olitoru cuidam aquas hauriendo quæsumus fecit, quo paupertatem suam interdiu philosophando sustentare posset. Quæ a Zenone audierat, teftis, boumque ossibus inscribere solebat, quum pecunia defectu chartas emere non posset (r.). Hillel Doctor Judæorum præstantissimus Schamajam praecceptorem in scala ad fenestram stans avide audiebat, licet nive densissima caput ejus operiretur (s.). Josephus Scaliger Parisiis, quum ibi

Adri-

(o.) Muret, Vol. I. Or. 2. ubi pt.

(p.) A. Gell. Noct. Att. L. 6. c. 10.

(q.) Syro. de dict. Alph.

(r.) Lacrt. L. 7. c. 1.

(s.) Griger. Diff. de Hill. & Scham. §. VIII. p. 13.



Adriano Turnebo studiorum directore uteretur, Homierum & vi-

ginti diebus, reliquias poetas Graecos intra quartum mensem, ceteros

scriptores Graecos intra biennium, quod ab homine fieri potuisse dubitab-

vit Hieronymus Drexelius, perdidit (t.). O discendi cupiditas, quid

non efficis? quo non generosa cogis ingenia?

Contra quid aliud ex odio in studia provenit, quam otium & desidia. Pauci hic Demosthenem imitatur plus olei quam vini imbibunt, aut antelucana opifex vincunt industria. Ignavia omnia pene in scholis sciamna occupavit, omnium inficit animos: Desidia tanquam Dea colitur atque in Pallados locum surrogatur. Videntur mihi ejusmodi otiosi proprius accedere ad speciem animalculi cuiusdam, quod in Americana re-

gione Brasilia inveniri scribunt, cui pigritiae nomen indiderunt Portugallenses, quod per dotorum dierum spatum in arbore reptare tradunt,

antequam ad cacumen eus pervenire possit (u.). Desidia licet Dea co-

leretur apud Romanos, nullum tamen in urbe ei dicaverant templum;

sed extra Collinam portam ei sacra siebant, quod inertiam ex urbe pro-

scribendam esse vere iudicabant.

Non enim leve est, quod inde in studia redundant impedimentum.

Subsistunt in itineris ingressu, qui desidiae vacant, nec ultra limen

progrederiuntur, ut alia innumera, quae affert otium, pericula silentio

præteream.

Enascurit inde pravi consortii amor. Nihil enim agendo male agere didicerunt, & quæ studiis impendendæ fuisse, cogitationes, alii rebus tribuuntur. Quantum autem in prava consuetudine ad juvenum animos corrumponens positum sit momentum, nec satis dici, nec increpare potest. Pecorum ritus plurimi sequuntur antecedentium gregorum pergentem non quia eundum est, sed quia iur. Quia quidem re nihil pestilientius putat Seneca contingerere hominum societatis (w.). Canalis, per quem ducta est, retinet unda saporem: in popinis qui versatur, olet fumum: ferrum in locis humidis depositum rubigine obducitur: animusque adolescentis eam retinet, quæ in illo ad sociorum exempla complicito efficit est, iudicem. Raro enim, qui mundi degustavit delicias, celestibus delectatur. Quod Alipio cuidam accidisse relatum legimus, multis solet obvenire. Nam quum diu in scena spectaculum prodire recusat, annuit tandem continuis amicorum solicitationibus victus, & corpore quidem, inquit adero, vernis oculis & mente nunquam. Clausos etiam diu oculos servavit, donec forte ingens in turba clamor oriebatur, cuius causam miratus Alipius ut cognosceret, oculos aperuit. Patentibus autem portis tot irrepererunt vanitatum incitamenta, ut non solum spectaculis deinceps sua sponte sepius adesset, sed & alios secum duceret (x.). Qvicquid ergo boni implantatum pectori puro, id omne prava conversatione potest extingvi.

C 2

Dicit

(z.) Schurz, in Act. Literar.

(u.) Hildebr. Mss. Nat. L. 2, c. 26.

(x.) L. de vir. beat.

(x.) Augustin, L. 6. Confess. c. 8.



Dicit hæc societas non ad Musas, sed ad pocula, non ad ludos, sed ad Iusus, non ad studia, sed ad gaudia, eaque admodum inania, & ad cuiusque generis turbas & tumultus. At vero ejusmodi homines non sunt ingenui juvenes ac studioſi, sed helluones, gurgites, Biberii, ardeliones. Pergræcari, non Græca discunt, non Aganippidos nectare, sed Zythi tapore delectantur: nihil discunt, quam id, quomodo nihil præter bacchanalia celebrare discant. Quid, quæſo, vobis perivaderis, o juvenes, hæc audiendo? num fieri potest, ut Mulus placeat in his se volutare lacunis, quum cacumina rerum sibi deligant? num illa gaudent clamoribus & vociferationibus, quum ament filiatum? an ab illis probatur de nocte usque ad orientem solem potu incallescere, quum aurora illis amica? nullo certe modo, qui luxui, studiis poterit vacare.

Originem horum vitiorum e falla vita academicæ pervasione repetendam esse censeo. Quum enim multos inde, quiancta optima nostra fuerint, reverti, & lurconum, belluorum, delicatorum, ganeonum, gladiatorum fama ac titulis insignes esse videant, fieri non potest, quin se etiam ad illorum exempla componere laborent. Confirmantur non raro in ea sententia familiaribus virorum eratæ proiectiorum de vita academicæ sermonibus. Nihil enim solennius est, quam in concilio condicibusque eruditiorum plerunque inter epulandum inde jucundiorum colloquiorum accersere argumentum; & commemorare studiosæ juvenitatis errata, academicas, & non nunquam scholasticas inceptio, nugas, strophas, sceleras, vel ab ipsis, qui ea narrant, vel perata a familiaribus. — Ad hoc igitur exempla & sermones conversa juvenitiae scholastica, quælo, quam potest vita academicæ notionem & formam animo complecti nisi illam: hic licet, quod libet, ac protervio eque patere aditus ad dignitates, opes, & quicquid inter homines amplius & beatum est, quam probis frugalibusque literarum cultoribus (y.).

Arrogantiae ex hoc femine nascuntur radices, quum nimio sibi ipsis amore alienantes, & ad eruditioñem se jam pervenisse putantes ad eam aspirare non possint. Invaluit hoc certe teculo mos ille, quo nimium sibi tribuentis adolescentulæ de omnibus hominibus quam liberim, imo & de ipsis præceptoribus judicium ferre non erubescunt, & se ipsis his omnibus & eruditione & moribus longe antefuerunt. Hinc etiam tanta eorum multitudo, qui nil nisi plenis buccinis & buccis suam laudent eruditioñem, quum ramen inani vento inflati nihil minus, quam eruditiorum nomen tuantur.

Hinc tot inter Theologos Spermologi, inter JCros Rabulistæ, inter Medicos Purgantii, inter Philologos dantur Fichtelmanni. Perorant, antequā loqui didicerant, disputant, antequā rem legerunt, nedum intellexerunt; concionantur, antequām Biblia viderunt, quidque sibi velit hoc vocabulum, intellexerunt: in forum progreduuntur, antequām cunabula legitimū studiū attigerunt: Opium miscent, antequām apiuua cognoverunt. (z.)

Ita-

(y.) Vocker. Conf. 20. §. V. p. 410. seq.

(z.) Alat. l. c. p. 2793.



Itaque omnia , qvæ monet præceptor , habent pro deridiculo ,
eoqve salutares illis propinante disciplinas aut nugas agunt , rabi-
garriendo tempus terunt . Surda pulsantur aures , qvicquid dici-
tur , ventis traditur omnique informatione ne hoc qvidem effi-
citur.

Quemadmodum vero hi studia peccant negligenter tractantes ,
sic contra multimaximam adhibentes assiduitatem a labe non sunt
immunes . Præposterus discendi ordo , quo multi aut in studia
genio suo minime convenientia , aut nullius momenti feruntur ,
jam fuit notatus . Error autem ille restat , quo multi plurimis
libris per volutis se veræ eruditionis adyta penetrasse glorianter ,
& proin vel totas noctes legendis libris consumunt , & sibi max-
imo non dicam impedimento sed damno sunt . Ut enim ægros
videmus varia ciborum genera appetere , præsentes fastidire ; ita
multi vario & novo semper gaudent librorum numero , sed pa-
rum illorum usū fruuntur . Qui sapient , non ex qvovis fonte
bibunt , nec tutum omnem librum evolvere .

Paucis qui aspescit , illisque bonis libris , plus agit , quam qui
magnis sumtibus ingentem sibi comparat bibliothecam , cuius nu-
merosa multitudine aut potius confunditur , quam edocetur , aut
illius magis fruitur spectaculo , quam studio , arque ita similes
est pueris , quibus totas noctes lampades ardent , sed parum ad-
vigilant .

Solet ex hoc solitario vivendi genere & illud plerumque ori-
vitum , ut hominum fugiant conspectum ejusmodi vespertilio-
nes ac noctua , & dein , si in publicum prodire jubentur , ultra fas
trepidant , & nescio qvid horreant . Imo ipsa subterfugiunt col-
loquia & congressus præceptorum , quorum latera tamen eos clau-
dere undeque oportet . Non enim timore horrendi , qui
amore profeqvendi . Pudore autem & liberalitate recimeri satius *se ave-
do granu metu* . Impedit institutionem pudor , aut tumor discipu-
lorum subructus , ingens autem & docenti & discenti addit cal-
car amor sincerus , quo discendi ardor inflammatur , unitisque vi-
ribus literariorum studia promonventur .

Aqve hunc ipsum amorem & a Vobis exspecto , fgravissimi
juvenes , Discipuli longe Carissimi , quo nomine nunc ego pri-
mum vos compello . Rectoris hujus lycei partes & cura sumi
mi Numinis auspiciis Amplissimoque Senatus Consulto mihi est
demandata . Non fato , sed nutu divino , non fato , inquam ,
hanc in me spartam deferrи lubens agnosco , quum nec in ea eru-
ditionis tenuitas , nec famæ obscuritas , nec virtutis male culta
dignitas Amplissimorum P. C. in me oculos delectere potue-
rint .

D

Qvam-



Qvamobrem supplex ad Summū Numinis pedes provolutus ilius
veneror submissa mente benignitatem , & , qvas possum , pro
his in me collatis beneficiis ago gratias . Te , Summū Numen
celebrabo , tuus honos , tua gloria omnium mearum actionum
erit scopus mihi unice præfixus . Mandasti meæ fidei hunc cœ-
tum tibi aliquando reddendum . Ut illius , ita & mea in hoc
versatur salus . Non est , qvod levi brachio hoc tractetur negoti-
um , sed omnes & ingenii , & industrie nervi in illud inten-
dendi . At humeri mei huic oneri ferendo non valent , manus
lasse decidunt , vires languescunt , nisi Tuo , O DEus , auxi-
lio sufficiantur . Qvare meo succurre labori tuaque benedi-
ctione illum fac nunquam fieri incasum . Da meis , ut Te dili-
gant , Tibi obsequiantur , meaque opera adverum in Te pietatis
& amoris affectum ducantur , bonasque literas , præcipue autem
disciplinas salutares sibi habeant commendatas .

Nunc ad Vos , Viri S. R. Amplissimi ac Consultissimi se
mea deflexit oratio , qvi me in hanc palestram vocastis . Vestra
cura in tuenda Schole hujus disciplina omnino dedicanda ,
nec est , qvod hac in parte impedimentum informationi objicitur . Ut paucis multa complectar , nec verborum ambagibus
aures Vestras defatigaturo , laudesque Vestras celebraturo adulato-
ris potius , qvam oratoris speciem mihi tribuat Vestra mode-
stia ; illam , qvam Vobis debeo , ierius promitto pietatem ac
obseruantiam , nulloque tempore patiar Vestram apud me obfo-
lescerre Autoritatem . Eam faltem a Vobis postulo opem , qvam
in bonis præmiis afficiendis , ac in malis poenis debitidis multandis
mihi non estis denegaturi .

Dein ad Vos me converto , Viri Nobilissimi ac Clarissimi Col-
legæ longe mihi Honoratissimi , cum qvibus & preces & labores
in hujus Scholæ salutem imposterum erunt conjungenda . En-
dextram fidemque , qva me non solum Vos semper collobo-
rante , sed & obsequente habebitis Nunquam meos , dum
fata sinunt , jugo , quod tua opera ferendum , humeros sub-
traham . Nec sum , qvi suam curans cuticulam reliqvorum of-
ficiat commodis , sed ea , qva me demeror , & Vos dijudican-
dos decempeda mihi persvadeo . Audivistis , quibus impedimen-
tis bona institutio infringatur . Audivistis , qvid Præceptoris
cure incumbat . Ergo vivamus , sed pie ! curemus juventutis
commoda , ne nostræ obliviscamur salutis ! agamus invicem tran-
quille , ut alii simus exemplo ! contenti simus ea , qvæ nobis
forre facula lucrifica assulget , nec teneat nos insatiabilis habendi
libido ! ne remittamus nimium , quo juventus coercenda , disci-
plinæ frenum , nec nimia & censoria quasi potestate & superbia
discipulis simus graves ! gentes sacris scriptoribus ne anteponamus !
multo

multo minus insana verberandi libidine majorem metum , qvam amorem nobis apud auditores conciliemus ! neque confuso dogma- ta proponendi ordine obscuri fiamus !

O qvam bene eo modo de Schola nostra ag^gum erit ! qvanta deporta- ^{fus} bimus præmia coelesti corona ob martyrium an hoc stadio perpe^{fus}ti , condecorandi !

Tandem & Vos compello , qvos ut primo loco nominavi , ita & sub orationis meæ cakem alloquendos censeo , Discipuli Carissimi . Non ejusdem Vos omnes fore geni , facile possum divinare ; sed bonos malis mixtos esse , conditio , ut solet esse , scholarum satis evincit . Primo itaque loco Vobiscum ago , qui nullo studiorum oblectamento ducti omnia divini atque humani juris repugnula perfringitis . Audivitis , qvantas Vos institutioni iniciatis remoras : ^{audi}ivistis , has omnes esse detestandas . Deponite itaque diuturnum illud in studia oditum ! fugite cane pejus & angue otia malorum omnium foinitem ! subducite Vos pravis , qvæ bonos mores corrumpunt , confortiis ! Detestamini Musis minus convenientem luxuriam ! ne imbuatis animos falsa academicæ libertatis persvafione ! ne patiamini arrogantiam Vos a vera eruditone detinere ! nolite garritu Vefros commovere Præceptores condisciplisqve esse fastidio ! ne fugiatis doctorum conspectum , sed amore non fucato illos amplectamini ! Qvod si vero quidam sunt , qui nulla se teneri lege putantes qvicqvid liber licere sibi persvadent , disciplinae scholasticæ osores , sciant , fore ut qvam acerrime animadvertiscantur . *Malo enim habere scholam desolatam , quam dissolutam.* Sunt Magistrati adhuc , qvibus Vefra coiceri possit malitia , firma præsidia , sunt Præceptoribus arma , qvibus Vos dignis modis excipiunt . Sed puder nominasse ! non enim Præceptoris sed agafonis agit partes , qui loris & fustibus uitur ad firmandam disciplinam , nec ingenuus audit juvenis , qui illis se in rationis gyrum redigi patitur .

Vos autem , o juvenes obsequientissimi , qvos ultimo loco sa- lutando duxi , coqvorum morem imitaturus , qui cupedias in men- sa apponunt , si hospites aliarum epularum cepit satietas , Vos estis meum desiderium , meum delicum , meus amor , mei Com- miliones . Omnia , qvæ cæteris imperavi a Vobis contendio . Qvicquid a me amoris , officii , fidiqve postulabitis , nunquam in me defuturum esse pollicor . Vos mihi in oculis , in visceribus , in medullis ! Vefram meditor salutem Vefram dilgentiam mea cura suf- fulcire nunquam desistam . Agite modo , ingediatur , qvod nos decur- rendum DEus iussit stadium , certo persvasi , illum virium nostrarum in- firmitatem adeo esse sublevaturum , ut omnia non solum

prospere cedant , sed & collapsa literarum ruina
brevi tempore restituatur .



VD-18

Pon IIg 3051 FK
f



56.

181 - 182

FA 132
51

II g
305

ORATIO;

qvâ

DE

IMPEDIMENTIS INFORMATIONIS SCHOLASTICÆ,

sub auspicio Lectionum,

Curæ Schol

so

die XXIV. Sep

sibi

c

R

Joh. Ru



STEN
Typis Joha

